

DE SILII PUNICORUM LIBRIS VII SS. POST DOMITIANUM ABOLITUM EDITIS

Silius Italicus ab Nerone Caesare consulatum acceperat consul Neronianus novissimus; qui paene famam suam laesit, sic stetit ab Nerone, cf. Plinium *epist.* 3, 7, 3. tunc vero Silius in Vitellii amicitia fuit, egisse eum pro Vitellio contra Vespasianum testis est Tacitus *hist.* 3, 65. nihilominus Flavia gens valde bene Silium habuit. sub ipso Vespasiano principe proconsulatum Asiae gessisse eum nummi narrant, ac quomodo applicaverit se ad aulam Flaviam, Domitiani laudes palam faciunt versibus III 607 ss. obviae *Punicorum*, carminis Siliani. nec non Domitianus honores amplissimos Silii Italici filio dedit, ut memoriae prodidit Martialis *epigr.* 8, 66. noli tamen credere Nervam Caesarem aut Nervam Traianum Silio detraxisse fortunae aliquid, nedum Nervis obtrectasse illum suspiceris. immo id fere testari videtur Plinius breviario vitae Silianae *epist.* 3, 7, nullis principibus nisi clementibus usum esse Silium; fuit ex verbo Plinii, quamvis inter primores civitatis habitus sit, sine potentia, sine invidia.

haec monui de vita Silii, ut moribus et ingenio senatoris poetae mores illustrarentur. qui poeta quamquam in gloria vetusta liberae reipublicae Romanorum toto carmine versatus est, tamen res Romanas sui aevi invidiose videtur carpsisse nusquam, omnino eas tetigisse inventus est praeter Domitiani laudes illas III 607 ss. paucissimis tantummodo locis, et iis quidem locis, ubi aut de ipso tangendo etiamnunc dubitatio supersit, aut certe de re, quam tandem tetigerit poeta, opiniones variae prostent.

inde facile fieri potuisse apparet, ut rationes chronologicae carminis Siliani, etiamsi auctoris vita ut hominis spectatissimi ante oculos omnium posita sit, inexpeditae multa ex parte remanerent. nam quod omnem quaerendi necessitatem, quando Silii *Punica* in vulgus prodierint, ab initio felicissime praecidere videtur primo obtutu Martialis *epigr.* 7, 63, 1 ss. *perpetui nun-*

quam moritura volumina Sili, qui legis eqs., eo loco Martialem partem tantummodo aliquam carminis Siliani in manibus vulgi vidisse certa res est. neque enim potest epigramma illud Martialis post mensem Decembrem anni Christiani 92 scriptum esse, utpote qua tempestate librum VII Martialis foras datam esse nullo obloquente evictum sit a Friedlaendero edit. Mart. praef. p. 58 s. simul vero invenitur in carmine Siliano locus, quem nemo est quin rettulerit ad res demum post annum exeuntem 92 gestas, epilogum dico libri XIV, versus eius libri 684 ss.:

*felices populi! si, quondam ut bella solebant,
nunc quoque inexhaustas pax nostra relinqueret urbes.
at, ni cura viri, qui nunc dedit otia mundo,
effrenum arceret populandi cuncta furorem,
nudassent avidae terrasque fretumque rapinae.*

quo de epologo libri XIV ut me post verum ab aliis dudum repertum sermonem redintegrare necesse sit, id culpa accidit L. Legrasii, hominis francogalli, qui novissimus de fastis Silianis locutus *revue des études anciennes* t. VII (1905) p. 136 ss. rem turbavit potius quam duxit in apricum. ad Massam enim Baebium in ius vocatum sub Domitiano principe vertente anno 93 propter Baeticam provinciam a procuratore illo denudatam rapinis voluit spectare epilogum libri XIV, ascivit Plinium *epist.* 7, 33, alios Massae condemnati testes ad hos Sili versus interpretandos, frustra, opinor. quos versus ne sub Domitiano principe scriptos esse sumas, obstant nimirum causae graves. et primum quidem color verborum *cura viri* eqs. comparatus cum colore oratorio Domitiani versibus III 607 ss. ad astra elati maxime suadet, ut Nervam cogitasse Silium epilogo libri XIV credamus. quod argumentum ex colore dicendi petitum ante me F. Buchwaldius *Quaest. Sil.* (diss. Vratisl. 1886) p. 12 in interpretando epilogo illo primus adhibuit. et Buchwaldius disquisitione sua omnem interpretationem epilogi iam absolvisse putandus est; qui de *rapinis* in pace factis dubitantes a Silio commemoratis verissime relegavit ad Suetonium *Dom.* c. 3 in-cusantem Domitianum rapacitatis verbis hisce: *super ingenii naturam inopia rapax* (*Domitianus*). nec non c. 12 Suetonius, ut omitteram alios testes veluti Cassium Dionem 67, 4 et 8, multa questus est de aviditate et rapacitate Domitiani. nihil autem adversus Buchwaldium obortus profecit Legrasius l. l. p. 137 alio quodam eiusdem Suetonii testimonio allato *Dom.* c. 8, ubi Domitianus coercuisse traditur praesides provinciarum tanta cura et

severitate, ut numquam modestiores isti exstitissent magisque abstinuissent ab rapinis. quo de testimonio Suetonii et Legrasii argumentatione id monendum est, nihil referre ad hanc interpretationem Silianam, uter princeps aequius imperium exercuerit in provinciales oppressos a senatoribus, provinciarum praesidibus, Nervane an Domitianus. quid Silio visum sit homini consulari et senatori inter senatores de virtutibus utriusque principis, quaerendum est, neque tamen id opus est quaestione eruere. nimirum aegerrime constat afflictum esse ordinem senatorium ab ipso Domitiano, sub quo principe ex verbis Suetonii *bona vivorum ac mortuorum usquequaque quolibet et accusatore et crimine corripiebantur*. utilissimum est etiam inspicere Tacitum *Agr.* 43, ne dubites, quas potissimum rapinas in pace factas intellexerit Silius, vir consularis. fuco autem rhetorico et indole animi Siliani ab acerbitate quaqua remotissimi id quidem effectum mihi videtur esse, ut flosculi v. 688 *nudassent avidae terrasque fretumque rapinae paullo obscuriores remansissent*.

placet igitur nobis spreto Legrasio ad Nervam epilogum libri XIV *Punicorum* referre, neque piget adnotare, sic eum intellegi ab omnibus excepto Legrasio, qui novissimis temporibus chronologiam Silianam temptarunt, ut ab A. Cartaulto *revue de philologie* t. XI (1887) p. 13, I. Schinkelio *Quaest. Sil.* (diss. Hal. 1883) p. 7, adnot. 2, aliis.

verum ut sint expeditae rationes chronologicae carminis Siliani in tantum, ut partem carminis non ante Domitiani necem editam esse, partem iam exeunte anno 92 protituisse pateat, duplex quaestio relinquitur. alterum videndum, quot volumina Martialis reppererit Dec. a. 92 edita in manibus vulgi, alterum, quot Silius demum post iugulatum Domitianum volumina foras dederit.

atque Martiali epigrammatis 7, 63 auctori volumina minimum tria *Punicorum* suppetivisse extra dubitationem est. num plura volumina ante oculos habuerit Martialis, ambigi potest; num pauciora, non item. nam id quoque dudum Buchwaldio l. I. p. 5 ss., aliis expertum, probatum est, Silium III 597 ss. in laudibus Flaviae gentis et Domitiani inter res bellicas a Domitiano gestas memoratasque a se rem postremo collocatam eandemque infimam aetate tangere bellum Sarmaticum anni 92 versibus 616 s.:

*idem, indignantem transmittere Dardana signa,
Sarmaticis victor compescet sedibus Histrum.*

quae expeditio Domitiani Sarmatica etiamsi in annum 93

vertentem duraverit, certe tamen etiam vergente anno 92 expectabatur in urbe, dum victor reditum faceret Caesar; cf. F. Vollmerum edit. Stat. *Silv.* praef. p. 51 s.; inde in proclivi est suspicari, quasi salutandi gratia Domitiani victoris atque reducis Silium partem operis sui anno 92 exeunte perpolivisse, edidisse, laudes inseruisse principis sub libri III umbilico, dein Martialem recentem ab edita carminis parte Siliani initia patronalis operis epigrammate prosecutum esse adulatorio 7, 63. atque haec fere sic primus Buchwaldius exposuit sobrie sane et sagaciter.

iam vero discedendum est ab eodem Buchwaldio coniectante l. l. p. 13 ss. fragmentum primum illud carminis Siliani foras a. 92 exeunte datum non solum tres libros primos operis, verum decem libros complexum esse, belli Sarmatici a. 92 gesti mentionem in libro III obviam a Silio decem libros Caesari mittente tunc demum temporis esse additam. quam coniecturam per se haut carentem probabilitate omni tamen equidem libentius ferrem, si in prooemio carminis totius belli Sarmatici laudumque Domitiani mentio fieret. quae coniectura Buchwaldii ideo omnino molesta est, quia finis fragmenti primo editi *Punicorum* pone librum X positus merae libidini debetur. neque Buchwaldius ratione ulla finis a se sumpti usus est, nisi quod inde a clade Cannensi libris IX et X enarrata pestis Hannibalica decreverit. simili ratione Legrasius l. l. p. 135 finem prioris fragmenti *Punicorum* a. 92 emissi pone librum XII fuisse sumpsit; accidit enim, ut liber XII claudatur Iove Hannibalem a portis Romae repulsante. eae igitur rationes futiles sunt, certe nihil indicant, editos plus tres libros fuisse in exitu anni 92. nec vero ex ipsa materia carminis Siliani per libros singulos distributa ulla causa potest trahi iusta quidem, qua corpus trium librorum separatim edidisse Silium vetemur credere. nam tribus primis libris res Punicae proponuntur usque ad adventum Hannibalis in Italiam, posteriores libri in Italia gesta Punica tractant. atque etiam Cartaultus, quem Buchwaldii dissertatio praeteriit quique neglexit Martialis epigramma 7, 63 adhibere ad fastos Sili dispiciendos, ex bello Sarmatico memorato III 616 s. sponte effecit l. l. p. 13 s., Silium libris IV ss. post annum 93 scripsisse. quo Cartaulti opinatu in transcurso perstricto, nos quidem, quibus tres libros Martialem Dec. a. 92 ante oculos habuisse persuasum sit, de reliquis quando editi sint, interim ignorare malumus quam hariolari.

certius quid sperare licebit evinci posse de illorum librorum numero, quos post necem Domitiani Silius publicaverit factam

mense Sept. anni 96. qua tamen in re rursus alia via quid profici nequit nisi investigando, num pendeat alicubi dictio, sententia, inventio qua Siliii posteriorum librorum etiam praeter Nervae commemorationem illam libri XIV a rebus Romanis ipsius aevi Siliani. quo in genere memorabiles locos praeter Nervae laudes alii attulerunt duos: de sacerdotibus Vestae poenam luentibus apud inferos versus XIII 844 ss. rettulit Legrasius l. l. p. 139 ad Domitianum coercentem incesta Vestalium virginum, quarum supplicia facta sunt sub Domitiano annis circiter 83/4 et 90/1 (cf. Vollmerum edit. Stat. *Silv.* praef. p. 5 adnot. 2). sed cum praeter incesta Vestalium a Livio 8, 15, 7 al. tradita etiam suo aevo iugulatas sacerdotes Silio XIII 844 ss. obversatas esse facillime concedas, tamen sumere nulla necessitate cogeris poetam ad rem recentissime actam alluisse. recusandum igitur id est, ne re minus certa reliqua chronologia carminis Siliani adhuc nobis probata evertatur.

quem vero alterum locum ad numerum librorum explorandum, qui post Domitiani necem editi essent, priores adhibuerunt, is locus ipse quoque libri XIII est. versatur enim poeta versibus 601—612 in tyrannis a Plutone iudicatis, damnis variis affectis. ubi sententiam v. 607 s. *quaeque ante profari non licitum vivis, tandem permissa queruntur (manes)* is, qui primus hunc locum protraxit Buchwaldius l. l. p. 15 s., apte contulit cum Tacito *Agr.* 2 in Domitiani aboliti imperium saevum invecto verbis *adempto per inquisitiones etiam loquendi audientique commercio.* atque incassum contendit Legrasius, qui ut Nervae laudes epilogo libri XIV contineri denegat, sic etiam cum toto omnino carmine librum XIII sub Domitiano editum esse vult, l. l. p. 138 s. hanc tyrannorum execrationem Siliii Domitiano offendere ideo non potuisse, quia nil esset ista nisi imitatio Senecae *Herc. f.* 737 ss. tyrannorum poenas apud inferos perhibentis. immo equidem miror, quod nimis modeste rem suam gesserit Buchwaldius; qui ne attulit quidem ad sententiam suam firmandam Cassium Dionem de Domitiano narrantem 67, 12: *Μάτηρνον δὲ σοφιστήν, ὅτι κατὰ τυράννων εἶπέ τι ἄσκῶν, ἀπέκτεινε.* quo de nuntio ad Maternum poetam tragicum referendo vide Ed. Nordenum *die antike kunstprosa* t. I p. 324 s. igitur et id mihi parum veri simile videtur, tulisse Domitianum virum dignitate consulari versibus tyrannos execrantem, neque Siliium possum mihi persuadere senatorem circumspectissimum incidisse in hunc locum communem pluribus exagitandum ante Domitianum occisum.

verum non iam acquiescendum est in Siliii libris XIII ss. post Domitiani necem editis. nimirum videor mihi repetere posse inventionem aliquam poetae Siliii inde a libro VII *Punicorum* obviam, ex damnata Domitiani Caesaris memoria. quae res ut palam fiat pertractata ex ordine, age sequere me breviter disserentem de Pallade apud Siliium.

quantas partes deorum ministeriis Silius in *Punicis* tribuerit, notissimum est. quem etiamsi stoicum philosophum inter Romanos agere voluisse historia moraliter tractanda eleganter animadverterit Buechelerus *mus. Rhen. t. 35 (1880) p. 390*, tamen longissime abest a Lucano, fatum pro Iove filiisque Iovis, reliquis deis supponente. atque etiam inventus est qui propria disquisitione persequeretur Siliium deorum ministeria carmini suo inserentem I. Schinkelius *Quaest. Sil. (diss. Hal. 1883) p. 23 ss.*; apud quem singula adnotata habes, quibus Vergilii potissimum exemplar Siliium, ut in aliis, ita in his rebus expressisse appareat. praecipue autem eadem numina faciunt Silius atque Vergilius Romanis faventia, Iovis, Veneris, Martis, Apollinis, idem numen nocens Romanis Iunonis. et a Iunonis quidem odio in gentem Romanam uterque poeta deduxit ortum carminis sui, cf. *Sil. I 26 ss., Verg. I 15 ss.*

iam vero dissentire Siliium a Vergilio Schinkelius l. l. p. 35 verissime vidit in eo, quod Iunoni Romanis iratae aggregaverit Silius Pallada, ipsam quoque furentem in Romanos. in Aeneide Palladis tantum ita mentio fit, ut ad actum carminis nihil valeat; velut Achivorum classem tempestate disiecisse perhibetur 1, 39 et 11, 259; in excidio Troiae narrando obiter auxilia eius Graecis oblata memorantur 2, 163 et 615. quin in Aeneide quamvis Troianis infesta Pallas esse putanda sit, tamen non dubitavit Vergilius, quin deam eandem praedicaret pugnaturam esse in proelio Actiaco cum Neptuno, Venere, Apolline pro Romanis contra deos Aegyptios 8, 699. uno tantum loco 11, 477 ss. matres latinae Minervam precantur, ut Phrygii praedonis, i. e. Aeneae telum frangat; neque tamen Turno in pugna adstans adversus Aenean infesti quid molita ipsa inducitur. e contrario Silius Minervam fecit Hannibalem in pugna Cannensi ipsam defendentem armis, acerrimum urbis hostem IX 438 ss., societatem illam Iunonis et Minervae ex Homero notam pro Graecis stantium omnino in res Punicas Silius transtulit VII 456 s., IX 296 s., al.

quae inventio Palladis Romanis iratae ex Homeri imitatione orta, quamvis ea usurpata Silius Vergilii exemplar spreverit,

tamen per se sane nihil habet quod mireris. sed accedunt aliae res, ut haec inventio utilissima evadat ad fastos Sili dispiciendos.

ac primum quidem velim te animadvertere, in ea parte carminis Siliani, quam certum est Domitiano Caesari missam esse a Silio — primos tres libros dico — nullam Palladis adversus Romanos saevientis mentionem fieri. quin ante ipsum librum VII, ubi v. 86 primum a Silio Pallas memoratur, huic deae atque Iunoni aliisque numinibus matres latinae supplicantes inducuntur a poeta imitato in phrasibus et quod ad singulas res attinet, vel in inventione Vergilium *Aen.* 1, 479 ss. et 11, 477 ss., omnino nusquam Silio in buccam venit nomen Minervae neque Palladis aut Tritoniae, quibus vocibus usus inde a libro VII Pallada adhibuit aggregatam Romanorum pesti, Hannibali.

deinde haut scio an cuiquam in memoriam revocare necesse sit, qualem cultum, quam superstitiosum Minervae Domitianus Caesar sibi instituendum esse putaverit. quo de cultu unanimi locuntur rerum scriptores, poetae, rhetores, aut narrantes de principatu Domitiani ut Suetonius *Dom.* 4 et 15 atque Cassius Dio 67, 1 et 16, aut scribentes sub principatu illius ut Quintilianus *inst. orat.* 10, 1, 91, Statius *Silv.* 1, 1, 5 et 37; 4, 1, 22, Martialis 7, 1; 8, 1, 4; 9, 3, 10; 9, 24, 5; 14, 179, 2. omnino dubitari nequit, quin aetate Domitiani Pallas toto orbe Romano Caesaris iussu in omnium ore fuerit omniumque votis verecundissimis petita sit, quippe qua ex dea natum esse se Domitianus voluerit; cuius rei testis luculentus est Philostratus narratiuncula quadam *Apollon.* 7, 24 ἐτέρου δ' αὐ φήσαντος γραφήν φεύγειν, ἐπειδὴ θύων ἐν Τάραντι, οὗ ἦρχε, μὴ προσέθηκε ταῖς δημοσίαις εὐχαῖς, ὅτι Δομετιανὸς Ἀθηνᾶς εἴη παῖς κτλ.

quae cum ita sint, quaero quid magis in promptu sit quam suspicari, Silium abstinuisse a Pallade Poeno perfido et scelerato aggreganda primis tribus libris *Punicorum*, quos Caesari miserit, ea de causa, ne genium Domitiani prognatum ex Pallade sibi iratum faceret? ceterum etiam prioribus libris *Punicorum* ante septimum aliquotiens accidit, ut Hannibal praesente Pallade potuisset sospes factus esse; velut inter divos Iuno in lacu Trasumenno IV 725 ss. eum adiuvisse et auxisse fingitur; praeterea cf. Schinkelium l. l. p. 26 ss.

nec vero casu factum esse, ut inde a septimo demum libro Pallada Silius in carmen induceret, perlustrata ratione, qua deae mentionem his posterioribus libris VII ss. Silius iniecerit, praesertim quibusdam locis libri IX, certum apparebit. velut est locus,

ubi Iuppiter summus deus fautorque gentis Romanae Irim mittat, quae Pallada coerceat turbantem Romanorum aciem in pugna Cannensi, Iuppiterque desinat in haec verba IX 474 ss.:

. *dic, Pallas mitiget iras*
nec speret fixas Parcarum vertere leges;
dic etiam: ni desistis, — nam virus et aestus
flammiferæ novi mentis — nec colligis iram,
aegida praecellant quantum horrida fulmina, nosces.

quorum minarum Iovis in Pallada iactatarum quamvis color tractus sit ex Homero Θ 405 s., tamen quale haec verba de aegide fulmine percutienda sonare debuerint apud Romanos Domitiani imperium passos, proprio sensu praedita, ne te lateat, recole quaeso duo Martialis epigrammata populari acumine extracta, quorum alterum scriptum est in lorica Domitiano submissam profecto in expeditionem Sarmaticam 7, 1:

accipe belligerae crudum thoraca Minervae
ipsa Medusaeae quem timet ira comae.
dum vacat haec, Caesar, poterit lorica vocari:
pectore cum sacro sederit, aegis erit.

quorum alterum epigramma inter apophoreta legitur 14, 179, cui *Minerva argentea* titulus inditus:

dic mihi, Virgo ferox, cum sit tibi cassis et hasta,
quare non habeas aegida: 'Caesar habet'.

nonne vides Palladis insigne, aegida, iam abisse in Caesaris? inde patet, quomodo in Siliano illo *aegida praecellant quantum horrida fulmina nosces* audaciam excusaveris poetae *aegida* et *fulmina* inter se opponentis. quae opposuit sane singulariter inter se Silius in litteris latinis ab aliis secum coniuncta ut a Val. Fl. 4, 520 s. *fulmina . . . aegidaque . . . gerens (Iuppiter)*, Mart. 9, 20, 10 *pro iaculo et parma fulmen et aegis erat*; cf. Thes. l. l. I 948, 44 ss. nempe cum aegis non solum inter arma Minervae, verum itidem inter Iovis sit, suo iure, opinor, praeter Silium recusavere poetae, ne fulmina iactari in ipsam aegida facerent.

item aliis locis Silius inde a libro VII, cuius quidem libri versus conferas 455 s. *victoria nostra . . . Idumaeas referat de Pallade palmas* (de dictione v. Verg. *georg.* 3, 12), verba fecit de Pallade minus grate percipienda Palladis puero, Caesari, si modo vivus ac non divus percepit iste dominus et deus Romanorum verba talia libri VII, sequentium. praecipue etiam Silius versus IX 460 ss.:

tum Virgo, ignescens penitus, violenta repente

*suffudit flammis ora atque, obliqua retorquens
lumina, turbato superavit Gorgona vultu*

aut nebulo sum aut merito me memorem reddunt, quamquam et ipsi imitationem Vergilianam redolent *Aen.* 8, 435, Taciti, de Domitiano post necem eius locuti *Agr.* 45 *cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat.*

quid multa? si vera fuerat illa, a qua profectus eram disputaturus de temporibus carminis Siliani castigatio mea morum Silii, senatoris cum Neroni tum Domitiano inter Caesares accepti, nefas est sumere, Silium etiam Domitiano vivo Palladi honores detraxisse apud Romanos verbis acerbioribus, nefasque explicare omnino aliter inventionem illam Silianam Palladis Romanis iratae, occurrentem inde a libro VII, nisi ex imperio abolito et ex damnata memoria Domitiani Caesaris.

hexas est librorum, in quam incurrimus, foras datorum a Silio poeta epico, Vergilii atque Ennii pedisequo, ante Domitianum peremptum; triada librorum eum exeunte anno Christiano 92 Caesari misisse supra maxime probavimus. videndum igitur est, ne per triada vel hexada initians Silius carmen suum, postea plenum editurus, aemulator aliquis serus evadat Ennii, qui et ipse *Anna-
lium* libros XVIII initiavit triade vel hexade librorum emissa. atque Enniana imitatio Silii nobis non modo intellecta est universa operis Siliani indole, historiae res Camenis tradentis, verum etiam apparet imitatio illa ex ipso sermone Silii, ubi Ennianae dictionis vestigia resecta nuper composuit cum magna laude sua F. Skutschius *realencycl.* V 2617 s.; cf. etiam Vahlenum *Enniana
poes. rel.*² praef. p. LXXVII. restat ut Silii affectatio aemulandi Ennii etiam valere inveniat in hac quaestione chronologica ad firmanda ea, quae de *Punicorum* libris VII ss. post Domitianum editis coniecerim. quemadmodum autem de Ennio primam hexada *Annalium* seorsum edente constat — in prooemio libri VII litigavit cum lectoribus editae partis prioris —, simul vero minus certa res est de reliqua compositione *Annalium* per triades vel hexades instituta (cf. Vahlenum l. l. p. CXLV s. et CXCVI, Skutschium l. l. col. 2607 et 2610), sic etiam in Silio licebit sumere, intervallum edendi factum esse post editam primam hexada operis, neque tamen cogere opinari de posterioribus libris per corpora publicatis triades vel hexades librorum complexa.

Ennius nobis animos facit, ut perstemus in sententia, libros VII ss. *Punicorum* post Domitianum emissos esse; in Ennio

versari amplius, verso in exemplar Siliii edentis *Punica*, etiam aliis rationibus utilissimum est. fortasse autem casu accidit, ut Silius etiam in eo pedisecus factus sit Ennii, quod senex carmen epicum perfecit. et de Ennio quidem sene pangente patrum facta maxima Vahleni notissima est sententia et alias fundata et repetita edit. Enn. praef. p. XVI s., qua non ante annum 184 a. Chr. n. coeptos esse *Annales* vult. atque etiam mihi probatur neque permitto, ut deleatur coniectura gravissimum Gellii 17, 21, 43 testimonium, quo Ennius in duodecimo *Annalium* libro addendo prioribus tertio ante obitum anno, fere septuagenarius sudasse traditur. quamquam quae de Silio habeo et ipso sene, quin etiam annos nato maiore septuaginta *Punicorum* libros VII ss. foras dante, ea utique aliter comparata sunt ac quae de Ennii laboribus seris comperta habemus ultimos sex libros *Annalium* triennio conficientis. nam in Ennio de pangendo agitur, in Silio de edendo, quod diversum est. nihilominus relinquitur, ut pluribus contueamur hanc opinionem, in quam ultro incurrimus, a sene Silio paene decrepito *Punicorum* maximam partem editam esse.

ac primum quidem dubito an Taciti vox *Agr. 3 senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus* aliquantum etiam in Silium valeat. nam una cum Tacito senator erat Silius, vacabat quamvis epicus laudibus veterum Romanorum invisus Tacito teste Caesari, familiariter usus est ex observatione Buecheleri mus. Rhen. t. 35 p. 390 Epicteto, capite professorum sapientiae, quibus expulsis ex Italia bonas artes omnes in exilium actas esse Tacitus questus est. inde meo iure suspicor, saevitia Caesaris increscente abstinuisse Silium ab edendo quantum fas fuerit.

dein quaecumque de otio et opera Siliii Musis dicatis novimus, ea omnia excusant editionem librorum VII ss. ampliatam. velut quae Plinius *epist. 3, 7, 5* de Silio narrat *scribebat carmina maiore cura quam ingenio*, ea facillime referuntur ad poetam diem ex die ducentem in purgando, perpoliando, limando, ampliando carmine. atque ex eiusdem Plinii testimonio *ibid. non nunquam iudicia hominum recitationibus experiebatur* vel id fere intellegitur, etiam perpolitae partes carminis sui poetam tardum in scriniis fovisse. accedit Martialis epigramma aliquod a. 88 editum, et ipsum de nascentibus *Punicis*, quam tarde fluxerint ex stilo Siliii, nuntium factum gravissimum, 4, 14, 1 ss.:

*Sili, Castalidum decus sororum,
qui periuria barbari furoris*

*ingenti premis ore perfidosque
astus Hannibalis levesque Poenos
magnis cedere cogis Africanis eqs.*

ex quo epigrammate cognoscitur, quantae etiam compluribus annis ante ipsa *Punicorum* initia in vulgus data partes eorum recitationibus illis a Plinio indicatis familiaribus Siliii vel clientibus ut Martiali innotuerint. nimirum ea ratione epigramma illud Martialis a. 88 scriptum interpretandum esse constat inter Siliii studiosos, cf. e. g. Buchwaldium l. l. p. 8 ss., Cartaultum l. l. p. 12, Legrasium l. l. p. 133 s. quemadmodum enim ne primos quidem tres libros *Punicorum* ante exitum anni 92 publicatos esse abunde supra apparuit, sic epigramma illud anni 88 minus accurate quadrat ad id quale diem tulit absolutum *Punicorum* opus; quo epigrammate suo periculo fecit Martialis etiam Africani minoris mentionem. tantum igitur concedendum, a. 88 in cubiculo Siliii vidisse Martialem totius operis lineamenta, qualia tunc temporis Silius concepisset, simulque id plurimum iuvabit scire, quot annis ante editum primum fragmentum *Punicorum* auctor eorum in recitandis partibus plus minusve amplis versatus sit.

ad summam sic statuo de ortu librorum VII ss., ut poetam adfirmem vigilasse, postquam lineamenta librorum plurimorum generalia adumbraverit, eosdem per annos extruendis diversis libris. quem Silius rerum Punicarum cursum versibus expresserat annalibus usus Romanis ut Livianis, eum non desinebat exornare digressionibus, fabulis variis, deorum ministeriis, figuris, petitis ex officina rhetorum et ex imitatione poetarum. unde commodissime explicatur, quomodo senex valuerit grande corpus librorum brevissimo annorum spatio ad edendum parare. quos ad novissimos labores Siliii libris VII ss. publicandis dicatos rursus id verbum Plinii *epist.* 3, 7, 6 trahendum est, quo de otio refert Siliii in secessu Campaniae peracto, ne interrupto quidem Traiani Caesaris in urbem adventu.

denique mihi defendenti, paeue in excessu vitae libros VII ss. publici iuris fecisse Siliium, etiam id favet, quod carminis Siliani libri ultimi festinatae operae signa plurima produnt; qua de re cf. praesertim Buchwaldium l. l. p. 18 ss. et Cartaultum l. l. p. 14.

atque adeo ex hoc ipso, quod iam priores viderunt, ultimis libris *Punicorum* Siliium, copiam rerum annalibus Romanis traditarum et garrulitatem Livii spernentem, cursu accelerato ad finem belli Punici secundi properare, etiam plus opinor efficiendum esse de fati carminis Siliani quam dilatam librorum VII ss. edi-

tionem. si reapse spe citius poeta opus suum absolvere coactus fuit ingravescente senectute, quin etiam valetudine (cf. Plinium l. l. 3, 7, 1 s.), dubito an Martialis, quae narravit etiam de minore Africano praeter maiorem a Silio praedicando epigrammate illo, modo tibi apposito, 4, 14 anni 88, narraverit minus futtiliter quam prioribus visus est. *Punicis* enim Silius, etiamsi carminis epici actus sequatur annales secundi belli, tamen aut fallor aut meditatus erat, universas res Punicas, adsumptis etiam fortibus factis ducum Romanorum primi et tertii belli, ad caelum tollere. qui nec praeteriit plane in carminis prooemio tertia aut prima arma, cf. I 8 ss., quique exeunte libro VI v. 653 ss. res primi belli tabulis pictis expressas in porticibus templi Liternini Hannibalem reperientem, incendio delentem fecit. qua ratione memorandi res primi belli prudentia aliqua poetae et artis quaedam affectatio ostenditur. nimirum si modo vim aliquam indidit Silio componendi carminis epici Calliopa, sic licuit Silio epicum se praestare, ut naviter captaret occasiones intexendarum rerum primi et tertii belli Punici fabulae secundi. quocirca ex festinatione poetae in ultimis libris dudum etiam aliis perspecta atque ex primi belli Punici rebus apud Silium aliquot versibus VI 653 ss. expansis hoc quidem concluderim, Africani minoris laudibus Carthaginisque excidio poetam, si sivissent fata, largius multo vacaturum fuisse quam vacavit reapse VII 492 s. et XVII 374 s. atque indulgenti mihi opinioni tali de primis *Punicorum* lineamentis deque exitu operis a summa perfectione prohibiti ne deest quidem qui praeiverit brevi verbo Cartaultus l. l. p. 12. quae opinio certe eo sobria est quod Martialis testimonio *epigr.* 4, 14 parcit.

neque de loco ubi Silius laudes Africani minoris et tertia arma in Poenos a Romanis sumpta longiore sermone prolaturus fuerit, ancipitem quem haerere par est, cum in ultimo libro operis nobis servati mentio quamvis brevissima Africani minoris sit. ac paulo ante discrimen ipsum belli secundi augurium tertii futuri locum aptissimum sibi vindicaverit, plane ut Iuppiter de excidio Carthaginis augurans in transitu a poeta XVII 374 s. inducitur. nec minus apte res primi belli, quas quoad voluerit Silius tetigisse putandus est, perspicuum locum occupant VI 653 ss., i. e. exeunte ultimo libro eorum, quos efficientes primam hexada totius operis pro virili parte evincebam solos etiam ante necem Domitiani vulgo prostitisse. quo ex bello primo Punico sub fine memorato libri VI novissima ratio deducitur, qua interim finivisse Silium

opus suum sexto libro placeat. nimirum ars epica Sili Duilio et Regulo intextis bello Hannibalico ad cumulum aliquem pervenit.

Duili vel Reguli nomine quanto acrius fulserit deleta Carthagine nomen Africani minoris, tanto maiore ambitu exspectandum est ut superatura fuerit digressio qua libri XVII de Africano minore digressionem illam de primo bello Punico VI 653—697 atque ad has quas desideraverim in libro XVII laudes Africani minoris, accedunt ipsius Hannibalici belli res eae annalibus Romanis traditae, quae spretae a poeta in ultimis libris indicia sunt operis accelerato cursu festinantis ad finem. apparet igitur, si stetissent prima lineamenta *Punicorum* quondam Silio meditata et Martiali, ut videntur, anno 88 cognita, additurum fuisse poetam librum XVIII prioribus. inde rursus Ennii imitatio in Silio quam late patuerit *Annalium* libros XVIII pangentis, divinaveris.

Kiliae.

Ernestus Bickel.